SPONSVS SANGVINVM SIVE CHRISTI CVM CRVCE CONNVBIA

ORATIO

HABITA IN PARASCEVE AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM OCTAVVM.

A HIERONYMO SAVIGNANO
E SOCIETATE IESV.



ROMAE, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

SPONSVS SANGVINVM SIVE CHRISTI CVM CRVCE CONNVBIA

ORATIO

HABITA IN PARASCEVE

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM OCTAVVM.

A HIERONYMO SAVIGNANO E SOC. IESV.



ROMAE, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI ANTONIO CARDINALI BARBERINO

FRANCISCVS FILICAIA F.

DELAPSVS è Cœlo Deus amaras cum Cruce nuptias dulciſsimè celebrauit; ſed non niſi vt Terra Cœlo nuberet ſponſo. Hæc Cœli, terræq; ſplendida connubia, vt dote firmaret planè profecticia, ſuam vendere vitam Chriſtus compellitur; adeoq moriens in eam nos prolem ſuſcitat, cui Crux cunæ, Cœlum parens, pa-

trimonium est Deus. Hæc est Eminentiss. Princeps) amœniuscula lacrymosæ huiusce orationis pompa, quæ funestissimæ atrocitatem historiæ tantisper mitigauit, vt oculo perlegi posset innocenti. Tu quoque (si deprecari fas est ab humanissimo Principe) venerandum mihi supercilium mitiga maiestatis tuæ, vt assoles: atque dum Hieronymi Sauignani Hæmatonymphium tibi exhibeo, duos recipe in tui sinum beneuolentissimi patrocinij seruos tibi addictissimos, vtrunq. foue. Vale.

ORATIO.

FVNESTISSIMA hæc patibulati numinis historia B. P. hoc inter decumana scelera scelerosissimũ crimen, hoc publicæ calamitatis miserabile iustitium tantum ingerit animo atrocitatem, horrorem tantum, vt Senatoriam hanc totius humanitatis Orchestram, & verissimæ exedram pietatis malè deceat, nisi mitiori aliqua orationis pompa, & dicendi charactere mansuetiori in speciem emollescat amœniorem. Agè igitur; mutata rerum facie tantisper in melius, resonent nobis hodiè, quasi è theatro Hierosolymæ data in communem totius orbis scœnam maritalia connubia, in quibus Sponsus sanguinum Christus nuptialem sibi thalamum seligat Caluariam, vt Crucem ducat vxorem, à qua non aliud expectet dotis patrimonium, quàm mortem. Et sanè præfestina cruciarij huiusce Connubij sponsalia, vel iniuerat iam olim, vel iurauerat Sponsulus, cum mundum ingrediens, corpus sibi in sacrificium aptari, sibi lętatus Crucem destinari, visus est quodamodo Patri dicere: *ad Hebr. 10.*

Ps. 39. Deus meus volui, & Crucem tuam in medio
1. Cor. 7 cordis mei; hoc est nihil habet hæc nupta, quod non placeat viro suo, & quam postmodum desponsaturus sum sanguine, nunc animo gaudés prælibo, non prius in lucem editus, quàm datus
ad Gal. 4. Cruci. Quandò verò aduenit plenitudo temporis, & cœna iam nuptialis instruebatur, accepit Iesus panem, similiter, ac calicem, ac benedixit: vt nimirum dum singulis quibusq. ferculis Crucis signum inducit, charissimæ imprimat Sponsæ imaginem, & iam non liceat vel micam ex hac mensa accipere, quæ sponsam non sapiat, quæ non redoleat Crucem. hinc & cantiones amatorias nouus Psallocytharista decantando hymnũ dicit, & egreditur trans Torrentem Cedron.
Io. 18. Incesserat hic mihi animum cupido, incusandi acritèr sponsum; quòd diuerticula quærat, quòd
apud Carthus. in c. 1. Io. Hist. Schol. in 3. Reg. c. 26. non maturet in Caluariam. Sed enim litteris quorundam testatum accipio, arborem illam, quæ nobilissimo Reginæ Sabæ vaticinio fieri debebat in Crucem, transmittentibus hunc torrentem diù pontem dedisse. Quærit hic adeò bonus Sponsus amatissimam Sponsam, nec timet illam
Cant. 8 in fluuio reperire, quià aquæ multæ non possunt extinguere huius connubij charitatem. vbi tamen non reperit; progressus pauxillum venit in hortum Gethsemani, ibiq. præ dolore Sponsæ, vt ita dicam fugacis, cœpit tædere, & mœstus
Matt. 14. esse.

esse. Inspectabat hinc, atque hinc, si qua forte videret arbusta, in quibus Sponsæ genus, & quasi gentem agnosceret. dolebat, ea nondum adoleuisse in ætatem connubio parem, hoc est nondũ in trabem ingentem arborescere. Alloquebatur, rogitabat: num quam diligit anima mea vidistis, vt sub vmbra illius, quam desidero requiescam? Et verè si vlmus Apolloniũ aflata dicitur mentitâ salutatione; quid ni verius canticorum sponso, & Pomo vltro admurmurarint omnia ligna syluarum; implexasq; ramorum propagines placidè sollecitando, mille aut Cruces insonuerint, aut effinxerint; Amplectebatur, tenebat, osculabatur, maritàs plantas, tam intimo cordis sensu commotus, vt exclamare liceat? Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? procidebat in faciem suã factus in agonia; sed nescias benè distinguerè an mortis, an amoris. continebat quantum poterat in officio, & in precibus somniculosos discipulos, vt & ipsi id à Patre contenderent enixè, ne alteri fortasse nuberet tam chara sponsa. Cecidit res è consilio. Adlegatus illi è cœlo Angelus in aliquatum pœnæ leuamenum, docet, rata inibi esse connubia in actis Diuinitatis. calicem indè passionis demitti, hoc est Cruciario dignum SponsoPhiltrum amatorium. aduentare Cohortem cum laternis, hoc est cum tœdis maritalibus, adesse iam in limine Crucis prælu dia, præ-

Cant. 3

apud Philost. lib. 6. c. 5.

Luc. 23

esse

esse militi Iudam Iscariothen , hoc est intimum Christi desertorem optimum esse nupturientis Crucis paranymphum. Quo adeò delectatus nũcio est bonus Iesus, vt si Parisiensem Cancellarium audimus, præ lætitiæ exuperantia sanguis primùm in venis commoueri, salire, tripudiare: tum verò foras sese per vim proripere, erũpere, exultare. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. O nouas amoris illecebras! ò nusquam audita patibulandi sponsi gaudia magis opportuna, tot quasi labijs ridere, quot circunquaq. effusus aperit venas cruor. Decurre, decurre ò sanguis in terram profusiùs, quæ si alias decidua è Cœlo pluuia se vulnerari sensit, nunquam perfectò fortunatiùs, quàm cũ hodiè reperiet in suo vulnere sanguinem; intelligetq., dum rores sunt cruor, non rosas progignẽdas, sed cruces. Decurre, & si forte per huius abrupta montis delapsus, in decurrentes subiecti fluminis vndas deueneris, tunc enimverò sentiet se Cedron non Cæsaris fortunam, sed maximam amantis numinis partem vehere; sentiet se vel dignitate parem cum Iordane, vel maiorem; ille factus est in Baptismum fluminis, hìc & amoris, & sanguinis. Decurre, vt hoc quasi onere leuatus sponsus, expeditior aduolet; nescio an dixerim in occursum proditorum, an in complexum Crucis. Certè rectà itur ad Crucem, cum in itinere

Gerson lib. de Pass. Christi tom. 2.

Luc. 22.

itinere offenditur Iudas. Amice, inquit, ad quid venisti? in amicitiæ tessera non tã perfidiã accuso, quàm prudentem approbo calliditatem. hæc sponsis retia sunt opportuna. non poteras melius capturam designare spõsi, quàm osculo. quòd si designas morti, hoc etiã habent oscula, vt plerũq. non beneuolentiæ signa sint, sed artes: quæ muto oris silentio fraudem non loquuntur, quià contegunt, dulcedinem simulãt, inspirant venenum. Quem tuus iste vel collectitius miles, vel nuptiale Crucis satellitium quærit; Ego sum; alios quæso sinite abire; qui Crucis anhelet nuptias, is vnus est Deus. Intereà, quanquam vltrò se induentem in vincula, non cessant arctissimè conuincire, in terram detrudere, tundere, proculcare. raptant, discerpunt conscindunt; nec sequi sæuitiam potest æquo passu allata Diuinitas. malè acceptum, malè habitum sistunt ante Iudices reum; accedunt falsi testes, in multis accusant. Fateor. nunquam relata in tabulis maiora facinora; sed accusatorum non rei. nunquam magis denegata Cæsari tributa; sed verum Cæsarem interimendo. nunquam verius per seditionem tumultus in populo excitatus; sed quia populus sine principe scopæ sine vinculo. blasphemauerit forte Christus? non tamen veritati, sed vobis ò Iudices. regẽ se fecerit per iniuriam? sed regna occupaturus cõtumeliç. aliquid sceleris patrauerit innocẽtia?

Matth. 18.

Ps. 18.

Io. 18.

tia:sed hoc vnum, quòd Crucem depereat. O non tā sceleris iudicium, quàm schola dilectionis, in qua propterea amorem didicerunt Herodes, &
Luc. 23. Pilatus: & facti sunt amici in illa die. Errаui fortasse. Quomodo illa dicenda sit dies, in qua duo sidera coaluerunt in vnum, vt solem extinguerent? in qua hoc dirum amoris phœnomenon visum est in terris, vt videlicet nequeat hic duo conciliari in amorem, quin oderint Deum; & amantium proles, sit numinis parricidium.
Ergo flagris destinatur, & spinis, accurrunt Virgatores, vt emendatum dimittant: & quia nequit Diuinitas emendari, peribit. accurrunt vilissima militiæ capita, & regem sibi coronant, per iocum: vt gregario cuiq. iam liceat esse Prætorianum. accurrũt omnis ordinis, omnis conditionis efferatissimi viri, & voces illas ingemi-
Marc. 15. nant: Crucifige, Crucifige: ignari, quòd nuptias insusurrant, & voluptuosa tormenta. Sed benè
Isai. 1. est. decuit Christum à planta pedis vsque ad verticem capitis cruentatum purpurascere: conre pauimentari solum, atria conspergi; absorberi Colũnam: vt in nuptiarum die, & vestium apparatus, & peristromatum concolor esset spõsæ paludamento, quæ sanguine circunquaq.
Cant. 7. dimanat, & quasi purpuram habet in canalibus. decuit sponsum, seruato veterum more, eam inducere capiti suo coronam, quam dono dedisset

spon-

sponſa,& Cruciaria ſponſa nō auream profectò, daret, ſed ſpineam. decuit ſuffigendi in Cruce Redemptoris facinus tantum eſse, vt ad illud ſuadendum, non vnius oratoris eloquentia eſset neceſsaria, ſed populi; vt illud crimen cum multis participaretur, quod paucorum certè pectora non caperent. Reliquum nunc eſt; vt è parentis domo abductam, accipiat ſibi vir nuptam ſuam, introducendam poſtmodum in thalamum nuptialem; hoc eſt, vt accepta Chriſtus à Synagoga Cruce, exeat baiulans ſibi illam in eum, qui dicitur, Caluariæ locum. *Io.19.* O geminos ſponſos, ſed non geminos truncos! Doleo tibi amantiſſimè Ieſu, quod præuolantem in Simonis Cyrenęi humeris ſponſam aſsequi non potes, languidus ab amore. Præmitte illi amantium more pro hac, quantulacunq; eſt abſentia, imaginem tui. Adeerat bona pronuba cum linteis Veronica, & Sponſus, vt pictorem melius referret imago, ſeſe ipſum conſperſit in tela. nimirum amantis pictura eſt, non alio vti colore, quàm Sāguine. Sic pingitur, quando Apelles eſt Deus; qui ſi præter vultum reliqua corporis lineamenta non colorat, hoc ideo eſt, quia iam iam tenet Caluariam; quò, vt ventum eſt, in arctiſſimos proruit Sponſæ complexus ſuæ, & crucifixerunt eum. Sic enim verò trabalibus vere clauis configendum erat beneficium maritale. Habetis conſumata iam omnia.

Has

Has fecit nuptias Pater filio ſuo. hanc filius, quam teſte Chryſoſtomo acceperat ſponſam meretricem, hoc eſt, nefariorum hominum, & patibulum, & proſtibulum fecit nobis Virginem. huius nos Virginis amore ardeamus, vt cruciarij huiuſcè connubij proles nominemur, & ſimus.

Ep. 1. Io. 3.

L A V S D E O.